



BOLETIN OFICIAL

DEL

OBISPADO DE SALAMANCA

Las reclamaciones se harán, en el preciso término de un mes, a la Dirección del BOLETÍN ECLESIASTICO, calle de la Rua, 59.

TELEGRAMA DE SU SANTIDAD

A la felicitación enviada a Su Santidad por nuestro Excmo. y Rvdmo. Prelado, en nombre propio y del Clero y fieles de la diócesis, con motivo del segundo aniversario de su coronación, ha contestado, por medio del Emmo. Sr. Cardenal Secretario de Estado, con el siguiente telegrama:

“De Roma 5-17-10.

Monseigneur de Diego y Alcolea, Eveque.—
Salamanca.

Saint Pere remercie hommage filial Eveque,
clerge, peuple Salamanca, envoie a tous de tout
coeur benediction Apostolique.—*Card. Gasparri.*

OBISPADO DE SALAMANCA

CIRCULAR

Próximo el mes de Octubre, creemos oportuno recordar al venerable clero de la diócesis el más exacto cumplimiento de las disposiciones siguientes:

1.^a Desde el primer día del próximo Octubre, hasta el 2 de Noviembre, se rezará, al menos, la tercera parte del Rosario, con la Letanía lauretana y la oración a San José, mandada por el inmortal Pontífice León XIII, de feliz recordación, en todas las iglesias parroquiales: en los anejos, sobre todo donde hubiere *Reservado*, el Párroco designará la persona que habrá de dirigir el rezo.

2.^a En las parroquias donde hubiere medios para mayor solemnidad que la ordinaria, facultamos para exponer el Santísimo durante el Rosario y dar con El la bendición en la reserva. En las demás parroquias, por pobres que sean, se hará la exposición tan sólo en los días festivos de todo el mes.

3.^a En todas las parroquias de los pueblos se hará públicamente, con el mayor esplendor posible, la solemne procesión del Rosario en uno de los domingos de dicho mes. En la capital se organizará y partirá, como de antiguo viene haciéndose, del grandioso templo conventual de San Esteban en la tarde del domingo, día 1, y a ella debe concurrir todo el clero de la ciudad, para lo cual los señores Párrocos avisarán oportunamente a los sacerdotes adscriptos a sus respectivas feligresías.

4.^a Para mayor fruto de las almas y estímulo de

la piedad de los fieles que asisten al Santo Rosario en las iglesias parroquiales de la diócesis o en la de San Esteban de esta ciudad, concedemos cincuenta días de indulgencia por cada vez que asistan al rezo del Rosario; otros cincuenta por oír la plática o recibir la bendición al reservar el Santísimo.

Salamanca, 18 de Septiembre de 1916.

✠ EL OBISPO DE SALAMANCA.

SECRETARIA DE CAMARA Y GOBIERNO DEL OBISPADO

Nuestro Excmo. y Rvdmo. Prelado, deseando promover cuanto está de su parte la devoción a la Sagrada Eucaristía, por la presente autoriza a los reverendos señores Curas de aquellas parroquias en que se halla debidamente establecida la Obra de las Marías de los Sagrarios para tener una vez al mes exposición mayor del Santísimo Sacramento, y concede cincuenta días de indulgencia a todos los fieles que asistieren a los cultos que con este motivo se celebren por dicha Obra.

Lo que de orden de S. E. Ilma. el Obispo, mi Señor, se publica en este BOLETÍN OFICIAL para conocimiento de los interesados.

Salamanca, 1.º de Octubre de 1916.

DR. AGUSTÍN PARRADO,

Secretario.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

LATIS NOVIS LEGIBUS DE PONTIFICIO INSTITUTO BIBLICO, DECERNITUR QUAE INTERCEDERE DEBEANT RATIONES TUM EIDEM INSTITUTO, TUM PONTIFICIO CONSILIO VULGATAE RESTITUENDAE, CUM SUPREMO PONTIFICIO CONSILIO REI BIBLICAE PROVEHENDAE.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam.—Cum Biblia Sacra a rationalistis, qui quidem nullam Dei nec revelationem nec inspirationem ponunt, sic recentiore memoria tractarentur, quasi a solis hominum ingeniis perfecta essent, eorumque commenta, omni apparatu eruditionis instructa, latius in dies, cum gravissima imperitorum offensione, serperent, Apostolici officii conscientia permotus, Decessor Noster Leo XIII, ut huic tantae tanque perniciosae temeritati occurreret Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus*, die xviii mensis novembris an. mdcccxciii datis, certa quaedam posuit illustravitque principia, quibus parere omnes oporteret, quicumque se ad studium et interpretationem divinarum Litterarum contulissent. Eiusmodi autem incommodis cotidie ingravescentibus, idem Pontifex, ne ulli providentiae modo pepercisse videretur, Litteris Apostolicis *Vigilantiae studiique memores*, die xxx mensis octobris an. mdcccxcii datis, Consilium seu *Commissionem*, quam vocant, studiis Sacrae Scripturae provehendis instituit, cui universa rei biblicae cura propria esset ac peculiaris. Optimum sane propositum uberrimi, ut expectare par erat, consecuti sunt laetissimique fructus, cum Cardinales aliique doctissimi viri, in id Consilium adlecti, hoc spatio temporis, plura ediderint, post maturam deliberationem Ro-

manoque Pontifice adprobante, responsa, quibus et quaestiones satis multae, antehac in contrarias partes agitatae, sunt opportune diremptae, et leges studiis catholicorum doctorum biblicis dirigendis sapienter utiliterque praefinitae.

Neque vero actiosa Pontificii Consilii opera hos intra fines constitit. Anno enim MDCCCXVII, auctore atque auspice fel. rec. Decessore Nostro Pio X decrevit ut Bibliorum a S. Hieronymo in latinum facta conversio, quae *Vulgatae* nomen invenit, antiquis praesertim codicibus inspectis, ad pristinam lectionem restitueretur. Quod quidem munus laboriosum sane ac perarduum, sodalibus Benedictinis auspicato delatum est, qui, nullo paleographiae cognatarumque doctrinarum neglecto praesidio, remotisque omnibus, quae in re tam gravi necessario obstant, impedimentis, admirabili, qua solent, et sollertia et constantia, inceptum, acatholicis ipsis probatissimum, persequuntur.

Haud ita multo post, cum eidem Pontifici visum esset expeditiorem clericis aperire viam, ut omnibus saepti munimentis propugnationem pro Scriptura Sacra susciperent, suasore eodem Pontificio Consilio, Litteris Apostolicis *Vinea electa*, datis die VII mensis maii an MDCCCXIX, Institutum Biblicum in hac alma Urbe condidit, illudque non modo apparatus aedibus bibliothecaque singulari et fere unica instruxit sed locupletavit etiam eo omni eruditionis biblicae instrumento, quod ad plenioris intelligentiam validioremque Librorum Sacrorum tuitionem quam maxime conferret. Societatis Iesu sodalibus, praeclare de disciplinis sacris deque clericorum institutione meritis, mandavit, Instituto praessent, docerent; qui Pontificis bonorumque omnium ita expectationem explevere ut iam, haud longo intervallo, complures eosque peritissimos in Ecclesiae campum horum studiorum cultores dimiserint.

Haec omnia diligenter animo reputantibus, occurrit Nobis cogitatio, quo pacto possemus instituta tanti ponderis sic complere ac perficere; ut parta antehac Ecclesiae Dei magno numero commoda uberiorum accessione utilitatum cumularentur: quod si fecissemus, videbamus rem certe facturi a mente proximi Decessoris Nostri minime alienam, quandoquidem constat, plura hac in re Pontificem statuuisse ea lege, ut, quemadmodum vel condicio temporum vel rerum usus et experientia postulasset, ita corrigerentur, perficerentur. Deliberatum igitur Nobis est, nonnulla constituere, quibus tum Instituti in primis Biblici efficientiam virtutemque, quantum fieri potest, augeamus, tum etiam mutuas rationes et necessitudines moderemur, quae et eidem Instituto et Pontificio Consilio Vulgatae restituendae praeposito cum supremo Nostro de universa re biblica Consilio intercedant oportet.

Itaque, salvis iis omnibus, quae, antea quoquo modo sancita, ab hisce Litteris Nostris minime discrepent, haec Apostolica Auctoritate Nostra edicimus ac decernimus quae sequuntur:

I. Ad Scripturae Sacrae studia in Instituto Biblico ne admittantur nisi qui ordinarium studiorum philosophiae et theologiae cursum confecerint.

II. Studiorum biblicorum curriculum tribus ibidem annis absolvatur, servata tradendarum disciplinarum ratione, quae, Nostro rei biblicae provehendae Consilio probata, ad hunc diem viguit; unoquoque autem exeunte anno, fiat, uti assolet, doctrinae experimentum.

III. Omnia penitus abrogatis, quae continentur tum Litteris Apostolicis *Iucunda sane* die xxii mensis martij an. mdcccxi et *Ad Pontificium Institutum Biblicum* die ii mensis iunii an. mdcccxii datis, tum aliis Litteris, quae huic voluntatis Nostrae significationi

haud congruant, Instituto Biblico largimur, ut alumnis, qui facto periculo probati sint, post primum annum det litteras testimoniales legitimi adscensus, post alterum vero, academicum conferat baccalaureatus gradum.

IV. Litteris Apostolicis *Scripturae Sanctae*, die xxiii mensis februarii an. mdccciv datis, derogantes, Instituto Biblico concedimus, ut discipulis, qui integrum ibidem studiorum curriculum confecerint, tentata eorum doctrina eademque probata, academicum in Sacra Scriptura prolytatus gradum, nomine tamen Pontificii Consilii Biblici, decernat.

V. Testimoniales Litterae et diplomata academicorum graduum, de quibus nn. III et IV sermo est, in eam sententiam edantur, quam Pontificium Consilium Biblicum antea probaverit.

VI. Iudicijs, quibus in Instituto Biblico candidatorum ad prolytatum doctrina explorabitur, unus aliquis e consultoribus Pontificii Consilii Biblici, quem Cardinales e Consilio eodem delegerint, continenter intersit et suffragium ferat, ut ceteri.

VII. Quemvis academicum in Sacra Scriptura gradum conferri ne liceat nisi iis, quos legitimi constet laurea sacrae theologiae potitos esse in aliquo athenaeo ab Apostolica Sede adprobato. Si quis autem eam lauream vel alium similem titulum sit alibi consecutus, res ad Pontificium Consilium Biblicum iudicanda deferatur.

VIII. Ius laurae in Sacra Scriptura impertientiae uni esto Supremo Nostro rei biblicae provehendae Consilio, quod item perget ad experimentum admittere eos ad prolytatum candidatos, qui Sacrae Scripturae studiis extra Institutum Biblicum vacaverint.

IX. Nemini liceat suam periclitari doctrinam, laurae in Scriptura Sacra potiundae causa, nisi saltem biennio ante Prolyta renuntiatus sit, simulque vel rem

biblicam docuerit vel aliquam de eadem elucubrationem ediderit.

X. Professores ordinarii Sacrae Scripturae in Instituto Biblico tradendae a Praeposito Generali Societatis Iesu, uti antehac, eligantur; accedat tamen Pontificii Consilii assensus.

XI. Tum Pontificium Consilium Vulgatae restituendae, tum Pontificium Institutum Biblicum, quotannis, ad supremum Nostrum rei biblicae provehendae Consilium de opera et condicione sua, deque rebus maioris momenti universis, scripto plene absoluteque referant.

Quae vero in hac causa statuere ac decernere visum est, ea omnia et singula, uti statuta et decreta sunt, ita rata et firma esse ac manere volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv mensis augusti anno MDCCCXVI, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

L. ✠ S.

Suprema Sacra Congregatio S. Officii

I

SUPER CASUUM CONSCIENTIAE RESERVATIONIBUS

INSTRUCTIO

Cum experientia comprobatum sit casuum, quos vocant, conscientiae reservationes, si debitam mensuram et modum excedant, in animarum perniciem potiusquam in earum utilitatem vergere posse; Supre-

ma haec Sacra Congregatio Sancti Officii, praecedentibus ad rem dispositionibus novas, pro oportunitate temporum, superaddens, de expresso mandato Ssmi. D. N. Benedicti divina providentia PP. XV, haec cum omnibus et singulis Rmis locorum Ordinariis *decretorie* omnino ac *praeceptive* communicanda statuit:

1. Meminerint ante omnia Rmi Ordinarii casuum conscientiae reservationes *ad destructionem munitionum*, iuxta dictum Apostoli (2 *Cor.*, X, 4), ad removenda scilicet obstacula quae saluti animarum *non communi* impedimento sunt, esse dirigendas; ideoque, generatim loquendo, extraordinario huic remedio manus ne velint apponere nisi, re in synodo dioecesana discussa vel, extra synodum, auditis Capitulo Cathedrali et aliquot ex probatioribus ac prudentioribus suae dioecesis animarum curatoribus, de vera reservationis necessitate aut utilitate in Domino convincantur.

2. Utcumque, casus reservandi sint *pauci* omnino, *tres* vel, ad summum, *quatuor*, atque ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus *specificè* determinandis; ipsa vero reservatio non ultra in vigore maneat quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium extirpandum aut collapsam forte christianam disciplinam instaurandam.

3. Reservationi, generatim, ne submittantur sive *peccata mere interna*, quippe quae, ut doce Benedictus XIV (De *syn. dioec.*, V, 5, 5), *non est in praxi receptum ut unquam reserventur*, propter animarum periculum; sive quae ex *humana fragilitate* derivantia aliam non habeant specialem sibi coniunctam malitiam, propter humanam infirmitatem.

4. Prorsus autem ab iis peccatis sibi reservandis Ordinarii abstineant, quae iam sint Sedi Apostolicae reservata, ne scilicet absque necessitate multiplicentur leges; et regulariter, ab iis quoque quibus censura

etsi nemini reservata, a iure imposita sit; hoc enim expresse prohibet vetus Instructio S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 26 novembris 1602, quae ita se habet: “Praesertim vero haec monenda
„censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii
„ne illos casus promiscue reservent quibus adnexa
„est communicatio maior a iure imposita, cuius absolu-
„tio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens
„scandalum aut aliam necessariam causam aliqui
„huiusmodi casus nominatim reservandi viderentur.”

5. Cauti insuper omnino sint et quam maxime parci quod ad poenales sanctiones, excommunicationes praesertim, quibus forte suas reservationes communi-
re velint; nam, ut sapienter admonet Sacrosancta Tri-
dentina Synodus (Sess. 25, *de Ref.*, c. 3): “Quamvis
„excommunicationis gladius nervus sit ecclesiae
„disciplinae et ad continendos in officio populos valde
„salutaris; sobrie tamen magnaue circumspectione
„exercendus est, cum experientia doceat, si temere
„aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni
„quam formidari et perniciem potius parere quam sa-
„lutem.”

6. Verumtamen, statutis semel reservationibus quas vere utiles aut necessarias iudicaverint, curent omnino ut ad *certam* fidelium notitiam, quo meliori eis videbitur modo, eadem deducantur—nam quae-
nam earum vis si lateant?—easque, quamdiu necessi-
tas aut utilitas perduraverit, firmas teneant, seu facul-
tatem a reservatis absolvendi ne cuius et passim im-
pertiant. Mens tamen est S. Congregationis ut huius-
modi absolvendi facultas *habitualiter* impertiatur sal-
tem Canonico Poenitentiario, etiam Ecclesiae Colle-
giatae, et Vicariis Foraneis eorumve vices gerentibus
addita his ultimis, praesertim in locis dioecesis a sede
episcopali remotioribus, etiam facultate subdelegan-
di *toties quoties* confessarios sui districtus, si et quan-

do pro urgentiori aliquo determinato casu ad eos recurrant.

7. Ad evitanda demum gravia inconvenientia quae ex reservationibus utilibus quoque ac necessariis in peculiaribus quibusdam rerum adiunctis facile oriri possent, eadem S. Congregatio, nomine et auctoritate Sanctissimi, sequentia decernit:

a) Quaevis Ordinarium reservatio *ipso iure* cessat sive cum aegrotis qui domo excedere non valent, confiteri cupientibus; sive cum sponsis confitentibus matrimonii ineundi causa; sive tandem quoties, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat absque gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis.

b) Cessat pariter reservatio si, petita pro aliquo determinato casu a legitimo Superiore absolvendi facultate, haec forte denegata fuerit: cessat tamen pro ea vice tantum.

c) Toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, a casibus quos quomodolibet sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt, absque alius facultatis ope, parochi quive parochorum nomine in iure censentur.

d) Quo tempore Sacras Missiones ad aliquem populum haberi contingat, eadem absolvendi facultate gaudent singuli Missionarii.

e) Postremo, a peccatis in aliqua dioecesi reservatis absolvi possunt poenitentes in alia dioecesi, ubi reservata non sunt, a quovis confessario sive saeculari sive regulari, etiamsi praecise ad absolutionem obtinendam eo accesserint.

8. Sed, denique, studeant potissimum Ordinarii doctos, pios ac prudentes confessarios in tota dioecesi efformare, eisque opportuniora ad inolita vitia convellenda remedia suggerant quae ipsimet, si poeniten-

tes ad se remitterentur, adhibitori forent. Quo, dum et confessariis et poenitentibus inevitabiles reservationum molestias vitabunt, optatum effectum suavius simul ac certius, Deo adiuvante, consequi poterunt. Interim vero casuum reservatorum, si qui in propria dioecesi constituti sint, disciplinam ad haec praescripta quamprimum reducere, servato modo art. 1.º statuto, et haec omnia suos confessarios apprime edoceri satagant.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 13 iulii 1916.

R. CARD. MERRY DEL VAL, *Secretarius*

L. ✠ S.

DECLARATIO

Feria IV die 2 augusti 1916

Cum dubia varia orta fuerint circa decretum latum ab hac Suprema Congregatione S. Officii die 21 maii 1912 circa adsistentiam passivam Parochorum in celebratione matrimonii mixti, haec eadem S. Congregatio sui muneris esse duxit declarare praefatam adsistentiam passivam tolerari solummodo in illis regionibus, quibus ante Decretum *Ne temere* concessionem speciales factae ac instructiones datae fuerant a S. Sede, et tantum in casibus et sub conditionibus ibidem expressis, atque proinde matrimonia extra praedictas regiones sic contracta (idest cum adsistentia Parochi passiva) esse non tantum illicita, sed etiam omnino invalida.

Et feria v, die 3 eiusdem mensis, SSmus D. N. Benedictus divina providentia PP. XV, in solita audien-

tia R. P. D. Adessori huius Supremae Congregationis S. Officii impertita, relatam sibi suprascriptam declarationem benigne adprobare ac suprema sua auctoritate in omnibus ratam habere dignatus est.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 5 augusti 1916.

Aloisius Castellano S. R. et U. I. Notarius.

DECRETUM

Solvitur dubium de ss. numismatibus loco scapularium
benedicendis

Proposito dubio, quod sequitur, a Rmo. Procuratore Generali Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum: "Utrum sicut sufficit primum scapulare (v. g. B. Mariae V. de Monte Carmelo), quod in adscriptionis actu induitur, benedicere, quin deinde alia eiusdem generis scapularia nova benedictione egeant pro eadem persona, ita etiam sufficiat primum numisma benedicere, quin alia numismata, quae primo deperdito vel usu detricto assumuntur, nova benedictione muniantur, vel utrum numisma toties sit benedicendum quoties, primo deperdito vel usu detricto, novum sufficitur?"

Emi Patres Cardinales Generales Inquisitores, in Congregatione habita feria IV, die 10 maii anni 1916, responderunt: "*Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam."

Quam dubii resolutionem SSmus D. N. D. Benedictus div. prov. Papa XV, in audientia R. P. D. Adessori S. Officii impertita feria V, die 11 maii eiusdem anni, benigne aprobavit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

R. CARD. MERRY DEL VAL, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† Donatus, Archiep. Ephesin., *Adsesor S. O.*

Sagrada Congregación de Religiosos

El año integro del noviciado no ha de entenderse de hora en hora sino de día en día

Ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis.
Romae, die 19 Aprilis 1916.

Revm. Pater:

Haec S. Congregatio, mature perpensis sequentibus dubiis a P. T. propositis: I. Utrum verba Decreti, die 3 Maii dati, "non stricte de hora in horam sed de die in diem," intelligi debeant hoc sensu quod professio emitti possit qualibet hora diei anniversarii vestitionis: et quatenus negative. II. Quid dicendum de praxi conformi praefatae interpretationi; in congressu diei 12 Aprilis 1916, attentis omnibus ad rem facientibus, rescribendum censuit prout rescribit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in I.

Haec a me significanda erunt Paternitati Tuae cui fausta adprecor a Domino.—Paternitati Tuae.

Addmus. D. Card. Falconio. *Praef.*

Adulphus Epus, Canopitan., *Secrius*.

Rmo. P. Procurt. Gli.

Or. FF. Minor. pro Hispania.

Sacra Congregatio Rituum

SEDUNEN

Dubia de festo dedicationis Ecclesiae

Rmus Dñus Iulius Mauritius Abbet, episcopus Sedunensis, Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit quae sequuntur:

I. Debetne affigi festum Dicationis ipsi diei mensis, qua Ecclesia consecrata fuit, si haec dies est nota, celebrata solemnitate externa eadem die Dominica qua antea?

II. Debetne festum Dicationis ita alicui diei mensis affigi, ut Dominica sequens sit eadem Dominica, qua celebratum fuera festum Dicationis tempore elapso?

III. Debetne solemnitas externa Dicationis Ecclesiae Cathedralis in tota Dioecesi celebrari, vel tantum in urbe Episcopali?

Et Sacra eadem Congregatio, auditos specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* quoad Festum cum Officio et Missa. Posse et non teneri quoad solemnitatem externam.

Ad II. *Affirmative*, si non innotescat dies consecrationis, aut agatur de Festo Dicationis Ecclesiarum consecratarum, una eadem del celebrando.

III. Posse et nullibi teneri, iuxta Decretum S. R. C. diei 28 octobris 1913, tit. I, n. 2.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 5 maii 1916.

† A. CARD. EP. PORTUEN. ET S. RUFINAE, S. R. C.
Pro-Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis

quo conceditur privilegium ut in ecclesiis, in quibus erecta est Confraternitas 7 Dolorum B. M. V. vel Tertius Ordo saecularis Servorum B. M. V., Dominica III Septembris celebrari possint Missae omnes de Beata Virgine Perdolente.

BEATISSIMO PADRE

Il P. Vicario Generale dei Servi di Maria prostrato ai piedi della Santità Vostra espone che, essendo stata fissata, nella riforma del Calendario Universale, la festa dei Sette Dolori della B. V. M. al 15 Settembre, in luogo della terza Domenica dello stesso mese, in tutte le Chiese ove è eretta la Confraternita dell' Addolorata o il Terz'Ordine dei Servi di Maria si è costretti, quando il 15 del mese occorre in giorno feriale, a trasferire la festa esteriore dell'Addolorata alla terza Domenica, per dare ai fedeli maggior comodità di lucrare l'Indulgenza Plenaria *toties quoties*. Secondo le nuove Rubriche però, trasferendosi la solennità della festa dell'Addolorata alla terza Domenica, non si può in detto giorno celebrare che una sola Messa della festa medesima, con rincredimento non solo dei fedeli, ma specialmente dei Sacerdoti che, o invitati o per propria devozione, vanno a celebrare la santa Messa nelle chiese suddette, che spesso si potrebbero chiamare piccoli Santuari della Vergine SS.ma dei Dolori.

L'umile Oratore quindi, per assecondare i voti di molti Correttori della Confraternita e del Ter'Ordine, supplica la Santità Vostra perchè voglia degnarsi di concedere che in tutte le Chiese, ove è eretta canonicamente la Confraternita dell'Addolorata, o il Terz Ordine dei Servi di Maria, si possa nella terza Domenica di Settembre celebrare da tutti i Sacerdoti la Messa dell'Addolorata, fatta eccezione, secondo le Rubriche, della Messa Conventuale o della Parrocchiale, ove ve ne sia l'obbligo.

Che della grazia ecc.

O. $\frac{144}{916}$

**Ordinis Servorum
Beatæ Mariæ Virginis**

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XV, his precibus, R.mi Procuratoris Generalis Ordinis Servorum B. M. V. commendationis officio communitis, et ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis, clementer deferens, de speciali gratia, facultatem concedere dignatus est, qua in singulis Ecclesiis, in quibus Confraternitas Septem Dolorum B. M. V. aut Tertius Ordo saecularis Ordinis Servorum B. M. V. canonice erecta sunt, Dominica tertia mensis Septembris, Missae omnes, accedente Ordinarii consensu, quoad Ecclesias non exemptas, vel Superioris Regularis, quoad exemptas, de festo Septem Dolorum eiusdem B. V. M., ad proximum decennium, celebrari possint; dummodo non occurrat aliquod Festum duplex primae classis, et non omittatur Missa Conventualis seu Parochialis officio diei currentis respondens, si eam celebrandi adsit onus; servatis de cetero Rubricis et Decretis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9 Augusti 1916.

L. ✠ S.

† A Card. Ep. Portuen. Pro-Praef.

Alexander Verde S. R. C. Secretarius.

Concordat cum originali.

Romae, 18 Augusti 1916.

FR. AUGUSTINUS M. SARTORI

Vicarius Generalis.

FORMULA APROBATA BENEDICENDI ET IMPONENDI QUINQUE SCAPULARIA

*Sanctissimae Trinitatis, Passionis Domini Nostri
Iesu Christi et Beatae Mariae Virginis sub res-
pectivo titulo Immaculatae Conceptionis, Septem
Dolorum et Montis Carmeli.*

- ☩ Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟ Qui fecit coelum et terram.
☩ Domine, exaudi oratorium meum.
℟ Et clamor meus ad te veniat.
☩ Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Domine Iesu Christe, omnium caput Fidelium et
humani generis Salvator, qui tegmen nostrae morta-
litate induere dignatus est; obsecramus immensam
largitatis Tuae abundantiam ut indumenta haec in
obsequium Sanctissimae Trinitatis instituta, nec non
in honorem et memoriam dolorosissimae Passionis
Tuae, in honorem Beatissimae Virginis Matris Tuae
sub titulo Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum
et Montis Carmeli, ita bene ✠ dicere et sancti ✠ fica-
re digneris, ut qui (vel quae) ea assumpserit, eadem
Genitrice tua intercedente, Te quoque Salutare nos-
trum corpore et anima induere mereamur: Qui vivis
et regnas in saecula saeculorum.

℟ Amen

(Sacerdos aspergat aqua benedicta).

MODUS INDUENDI

*Sacerdos omnibus scapularia singulatim imponat,
ac deinde formulam proferat supra omnes simul*

1. Accipite habitum Ordinis Sanctissimae Trinitatis in fidei, spei et caritatis augmentum, ut induatis

novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate.

2. Accipite scapulare Passionis Domini Nostri Iesu Christi, ut, veterem hominem exuti novumque induti, ipsum digne perferatis et ad vitam perveniatis aeternam.

3. Accipite scapulare devotorum Beatae Mariae Virginis sine labe conceptae, ut eius intercessione ab omni inquinamento mundati, ad vitam perveniatis aeternam.

4. Accipite habitum Servorum Beatae Mariae Virginis, Septem Dolores eius devote recolentium, ut dolores ipsos assidue recogitantes, Passionem Domini Nostri Iesu Christi in corde et corpore vestro impressam iugiter teneatis.

5. Accipite habitum Societatis et confraternitatis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, precantes eandem Sanctissimam Virginem ut eius meritis illum perferatis sine macula, et vos ab omni adversitate defendat atque ad vitam perducatur aeternam.

Ego, ex facultate Apostolica mihi delegata, recipio vos in participationem bonorum spiritualium horum Ordinum, seu Congregationum, et indulgentiarum, quae per Sanctae Sedis Apostolicae privilegia praedictis scapularibus concessae sunt In nomine Patris, et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen.

V Salvos fac servos tuos.

R Deus meus sperantes in te.

